

instante, nisi manifesta veræ poenitentiæ signa ediderint, exolvantur; nullaque *indulgentia* vel *jubileo*, ut ajunt, expari queant. Eas literas (cum difficulter, nec sine ingenti periculo ad Regem perferrri possent) in celebrioribus urbis locis affigi placuit; in Galliam exemplaribus aliquot transmissis, quæ in propinquioribus Regi oppidis publice legenda proponerentur.

Navarræ Ligerim transgresso, regii exercitus vires famaque augeri cœpta; civitates nonnullæ deditio[n]e receptæ; oppida quædam vi expugnata; fœderati metu correpti. Rex prosperis initiis instandum ratus, Lutetiam obsidione cingere totisque viribus agredi statuit; fœderis capite devicto, cetera quoque cito in ejus potestate concessura. Propius Lutetiam admotis castris, Etampes oppidum capit. Longavillius, Campaniæ copiis ad Castilionem prope Sequanam coactis, Helvetiis Germanisque sub Sansæo adjunctis (in universum viginti millia circiter erant) ad Poiscacum oppidum, Sequana trajecto, Regi Pontosam quatienti accessit; id oppidum ducentorum aureorum millium pensione mulctatum recepit. Exinde exercitu lustrato, in quo bellatorum quadragintaquinque millia censebantur, Clodoaldi pontem occupat. Maynius ceterique fœderati Principes Lutetiæ inclusi, qua ratione imminentि adeo moli obsistere, seque tueri possent, consultant; supremum jam sibi exitium imminere rati, cum vel prælio decernendum, vel extrema quæque obsidionis incommoda subeunda intelligerent. Dum de salute solliciti, variis inter se sententiis disceptant, inopinato eventu rerum omnium facies immutata est.

Haud longe a Lutetia Dominicanæ familiæ sodalis erat, Jacobus Clemens nomine, in Sorbonensi suburbio, quatuor a Cenomanis paſſuum millibus natus. Hujus animum vel falsa religionis specie, vel capitis infirmitate, fucatas pietate suasiones facile admittentem, effera atque ab humanis ingeniosis prorsus aliena cogitatio subiit, propriis manibus Regi necem inferendi. Id facinus initio meditatus, cum assidua agitatione immotum fixumque menti hæſisset, gladium præacutum atque anceps parat; tertioque kalendas augusti, sacrificio peracto, Aurelianum pergere simulans, cœnobio digressus, suisque vale dicens, ut faustum felixque illi id iter a Deo postularent, precatus, recta ad Clodoaldi pontem, ubi Rex morabatur,

*Navarræ  
Rex regio  
exercitu se  
conjugit.*

*Regiorum  
progressus.*